



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ  
Præcones**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadt, 1645**

§. 3. Permittente, ob justas caussas, Deo, malum sæpe dæmonem esse fulminum fabricatorem, etia[m] in ipsa templa cadentiu[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](#)

caussa. Nam dum sathan ouium greges percussit, toti mundo ostendit, Iobum ouibus ipsis esse patientiorem. Quid, non modò gloriosius, sed etiam, vtilius fuit Iobo, oves seruare, an patientiæ laudem & mercedem adipisci? cuius ut virtus per omnes numeros agnosceretur, Deus eam velut scopum, de cælo, petendi (quasi inde origo plagæ est) dæmoni id solicitè flagitanti concessit; quamuis id alio fine dæmon flagitaret. Est enim harum rerum promus magis, quam codus Alastor, qui eiuscmodi expeditione in Iobū, ex inuidia, instruxit, malus utique, de thesauro suo, proferens mala: è quibus optimum Numen bona facit, etiam tum, quando per illum, tanquam per carnificem suum, in impios fulminat.

## §. III.

*Permittente, ob iustas caussas, Deo, malum s'ape  
demonem esse fulminum fabricatorem,  
etiam in ipsa tempa cadentium.*

Thom.

Canti-

prat.

li. 2.

apum.

c.

57.

§. 2.

*In Teutonia, circa annum Domini M. CC.**L. VI. inquit magnus Alberti Magni disci-**pulus, & D. Thomæ Aquinatis condiscipu-**lus, tantos ventorum, coruscationum, tonitruo-**rum, & grandinum fragores inualescere vidi-**mus, ut homines, per ciuitates, quasi amentes*

ince-

incederent, & imminere diem iudicij formidarent. Circa Treuirim, vineas demolitas penitus, silvas & arbores antiquissimas funditus eversas inspeximus, & excelsorum adificiorum fastigia corruisse. Fuerunt autem, qui dicerent, demones se vidisse, & eos, quasi bestias, diuisos in aëre, sibi inuicem ex ventis contrarijs occuruisse. Itaque non elementis duntaxat ex ingenio atque natura agentibus, sed etiam cacodæmonibus ipsis, furore atq; odio, incitatis frænum subinde, vel in exercitium, vel in supplicium nostrum, laxat vniuersi Rector: vnde magni persæpe motus damnáque ingentia bonorum temporalium existunt, vt bona spiritualia eorum vice subeant. Nam discunt inde mortales metuere, atque exorare omnipotentem, & aliorum interitu moniti semper in procinctu stare. Ita Volsinium Tuscorum oppidum opulentissimum, fulmine incensum, omne concrematum est. Ita, teste Baronio, Anno 857. Baronius  
Coloniæ. 17. Cal. Octobr. terribili coorta  
tempestate, subito fulmen informe, igne,  
draconis instar, Basilicam S. Petri homini-  
bus confertissimam, scidit, penetrauit, atq;  
ex omni illa multitudine tres homines, di-  
uersis quidem locis, uno tamē iœtu, in mor-

ad Ann.  
Christ.  
857.

C 3 tem

38 Cap. III. Deus in fulminibus

tem dejecit; alios autem sex, eodem impe-  
tu, ita prostrauit, ut semiuiui auferrentur;  
cæteros verò, quos non tetigit igne, percu-  
lit timore, docuitq; rebus diuinis inconta-  
minatos adesse. Itaq; non impia Ethnico-  
rum duntaxat fana, sed religiosissima etiam  
Christianorum templæ sunt de cœlo verbe-  
rata. *Cur enim Dominus uniuersoru non pos-  
set sathanæ permittere in templo, ad terro-  
rem eorum, qui templis abutuntur, quod  
concessit illi, in Iob seruū suum, qui & ipse*  
**2. C. r. 6** *templum Dei fuit?* De Romano illo Tullius  
**16.** cecinit:

*Iuppiter omnipotens stellanti nixus Olympo  
Ipse suas arces, atque inclyta templo petinuit,  
Et Capitolinis injecit sedibus ignem.*

Quod mirum nō erat, dignum etenim igne  
fuit fanum, tot sacrilegijs impiatum. Magis  
mirum id de nostris. Nam & de alio Chri-  
**Crlor. li.** stiano templo, alias Author memorat: *In*  
**10. cap. 72.** *vigilia S. Mathiae Apostoli, Coloniæ ignem è*  
*nubibus excussum, in turrim S. Andreæ in-*  
*cidisse, eamque incendisse, illâ ipsâ nocte,*  
*quâ, præ frigore, aquis glacies est inducta,*  
*vt tanto mirabilius esset, si, vice niuis,*  
*fulmina cecidissent.*

•S(0)S•

§. IV,